

factum fuisse, aliquorum opinio est (1). Biretum tamen cum quatuor apicibus juxta usum Romanum proprie est doctorale, quali clerici in ecclesiasticis functionibus uti nequeunt (2).

7. Pileolus parvus in ecclesia et in ipsis sacris functionibus servatis servandis, ut supra dictum est, ex universalis consuetudine, decretis postmodum firmata, permisus est (3). In pluribus etiam decretis canonici permissus supponitur (4). etiamsi sint parati, modo Episcopo non assistant et ministrant (5); quinimo etiam beneficiatis aliisque qui canonici sunt inferiores, lictus declaratur (6). Tam canonici tamen quam beneficiati, capellani aliive eum deponere debent, quando in medium chori prodeunt ad canendum (7). Ministri autem paratis usus quidem bireti, non vero pileoli permittitur (8); item clericis seminarii in choro pileolo uti non licet, si ea sit consuetudo (9).

CAPUT VIII.

DE DIGNITATIBUS.

§ 1. De dignitatibus in genere.

I. Dignitates necessario non requiruntur ad capitulum, quod per se subsistit, seniore canonico officium exercente, quod alias dignitatibus proprium dicitur. Capitulum tamen dignitatibus extollitur et honoratur. Unde in capitulis ubique communiter etiam reperiuntur.

II. Dignitates, personatus et officium saepe promiscue accipiuntur; stricte tamen loquendo, inter se differunt.

Officium est administratio rerum ecclesiasticarum sine honoris prærogativa et sine jurisdictione. Officium habere dicuntur custos, thesaurarius, etc.

(1) Ita Carli in bibliotheca lit. *biretum* n. 3; Bened. XIV de sac. m sect. 1, § 53; Macri vocabulo *Camelaucium*; Fornici p. 1, c. 10.

(2) S. R. C. 7 Dec. 1844, *Venusin*.

(3) S. R. C. 22 Sept. 1837, *Mutinen*. IX; Carli *biretum alterum*.

(4) S. R. C. 20 Ap. 1822, *Baren*. 2.

(5) S. R. C. 24 Mart. 1860, *Algaren*. 3.

(6) S. R. C. 3 Oct. 1699, *Zaren*. 3.

(7) S. R. C. 18 Dec. 1660, *Januen*. 8.

(8) S. R. C. 25 Sept. 1852, *Patriarchalis Bas. Lat.* 4.

(9) S. R. C. 15 Sept. 1753, *Casalen*. 12.

Personatus est honoris prærogativa sine jurisdictione. Qui personatum habent, ratione hujus prærogativæ alios præcedunt in choro, processionibus et similibus.

Dignitas est honoris prærogativa cum jurisdictione in foro externo.

Dignitates non uno eodemque nomine sed singulæ suo proprio vocantur: nuncupari solent Archidiaconus, archipresbyter, præpositus, decanus, abbas, prior, primicerius, cantor, scholasticus, capellanus magnus, custos, sacrista, etc. Ex his de jure communi archidiaconus et archipresbyter tantum dicuntur dignitates (1).

Non idem est in omnibus cathedralibus dignitatum numerus et ratio. Quæ autem et quot in hac vel illa ecclesia sint dignitates, dignoscitur ex institutione et fundatione ecclesiæ, ex auctoritate ordinarii, ex voluntate testatoris a legitima potestate confirmata, et etiam ex consuetudine (2). Ex iisdem etiam cognoscitur, quis sit ordo dignitatum. Alibi archidiaconus dicitur prima dignitas, et alibi secunda; in aliis ecclesiis prima dignitas est archipresbyter, et in aliis decanus. Totum in his rebus efficit vel institutio vel usus et consuetudo ecclesiarum.

III. Dignitas, ut jam dictum est, est præminentia cum jurisdictione. Talis olim dignitas erat v. g. archidiaconatus. Nunc autem canonici hæc quidem honoris nomina relicta sunt; nullum autem ex consuetudine communiter retinent pristinæ potestatis et jurisdictionis vestigium; ita ut nomina sint inania et dignitates ventosæ vocari soleant. Hinc tamen concludi nequit, hoc tempore veras dignitates non esse eas, quæ hoc nomine in cathedralibus insigniuntur, quia ex praxi tanquam veræ dignitates habentur, tum eæ quæ olim jurisdictionem annexam habuere, tum aliæ quæ ex statuto vel consuetudine ut tales admittuntur, quamvis omni nunc administratione et jurisdictione careant (3).

IV. « Quum dignitates, in ecclesiis præsertim cathedralibus, ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ; ut, qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos opera et officio juvarent;

(1) Barbosa de Canonicis cap. IV, n. 5; Scarfantonius lib. 2, tit. XIII, animadv. 1; Zamboni tom. 4 *dignitas ecclesiast. in genere*.

(2) Barbosa de Canonicis cap. IV, n. 6, et seq. Zamboni loco cit.

(3) Lucius Ferr. *beneficium* art. 1, n. 26; Krimm in lib. III Decretal. n. 148; Bouix de capitulo p. 1, sect. 2, cap. V, § 1.

„ merito, qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere possint. „ Ita Concilium Trident. sess. 24, cap. 12 de reformatione, quod ibidem præscribit, quales esse debeant dignitates quoad ætatem, scientiam, residentiam, officia, vestitum, mores, etc. de quibus in præcedentibus jam actum est, et in sequentibus propriis locis agetur.

V. Jure communi dignitates non sunt de capitulo, nisi præbenda canonicalis eisdem annexa sit, vel nisi ex speciali statuto aut consuetudine tanquam tales habeantur, ut dictum est cap. VI, § 2.

Statuit Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 17 de reformat. *ut unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis confatur*: censem tamen auctores dignitatem et præbendam canonicalem in eadem ecclesia simul haberi posse, ubi talis viget consuetudo, dummodo onera non habeant repugnantia et eodem tempore adimplenda (1).

Si non sint de capitulo, locum et vocem in eodem etiam non habent (2).

VI. Dignitates, etiamsi non in ordinibus sacris constituti, et tantum clerici fuerint, præcedunt canonicos, etiam presbyteros in choro, processionibus aliisque actibus extra capitulum, et si sint de capitulo præcedunt etiam in capitulo (3).

Si tamen dignitas tantum clericus, non autem sacerdos fuerit, nequit in choro benedictionem impertire, neque orationem dicere (4). In benedictione tamen candelarum et palmarum celebranti candalam et palmam ministrare valet (5).

Dignitates quæ sunt de gremio capituli, subire debent omnia onera capitularia; missam tamen conventualem cantant, non ordine canonicatus sed dignitatis, ita ut turnus incipere debeat a dignitatibus (6).

Sive autem celebrent dignitates, sive canonici, eadem campana pulsari debet, eadem paramenta et ornamenta sacra adhiberi, scamnum et credentia eodem modo ornari, idemque intortiorum

(1) Scarfantonius lib. IV, tit. 16, n. 29; Krimer in lib. III Decretal. n. 314; Pallottini *Canonicatus* § IV, n. 70-79.

(2) S. R. C. 26 Aug. 1713, *Majoricen* ad 1.

(3) S. R. C. 6 Jun. 1626, *Neapolitana*; 26 Aug. 1713 *Majoricen*; 11 Dec. 1773, *Mazarien*. 1.

(4) S. R. C. 11 Dec. 1773, *Mazarien*. 2; 23 Feb. 1839, *Meliten*. 6.

(5) S. R. C. 10 Sept. 1796, 4, *Bracharen*.

(6) S. R. C. 26 Aug. 1713, *Majoricen*. 2.

numerus ad elevationem ss. Sacramenti accendi, sine distinctione personarum, habita tantum ratione festorum majoris vel minoris solemnitatis. Item æquales candelæ ejusdem ponderis et structuræ in festo purificationis, eademque funerum emolumenta canonicis ac dignitatibus distribui debent (1).

VII. Dignitates celebrare possunt et debent missas aliasque functiones episcopales, quas Episcopus, si præsens esset, celebraret, quod vide in Praxi Pontificali, tom. 1, n. 255 et 256.

Episcopo celebranti etiam assistere tenentur, ut dictum est in Praxi Pontificali, tom. 1, n. 56 et seqq. canonicis autem et aliis inferioribus celebrantibus assistere non tenentur, cum indecens sit, majores inferioribus inservire, ut in Praxi Pontificali notatum est ibidem, n. 67.

VIII. Dignitates officia per seipsos exercere tenentur, non tantum quæ ad eas spectant, quatenus sunt dignitates, sed etiam in eorum hebdomadis, si sint canonici, non obstante consuetudine etiam immemorabili. Decernit Concilium Tridentinum sess. XXII, cap. IV de reformat. „ Cogant episcopi eos diebus statutis ordines per seipsos exercere, ac cetera omnia officia, quæ debent, in cultu divino præstare, sub iisdem, et aliis etiam gravioribus poenis arbitrio eorum imponendis. „ Et sess. XXIV, cap. XII de reformat. similiter jubet, ut „ omnes divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia. „ Idem confirmavit et decrevit S. Congregatio Concilii (2).

Ille tamen qui possidet dignitatem, et legitimo impedimento detentus, munera sibi qua dignitati incumbentia per se ipsum adimplere nequit, alium quidem substituere potest. neminem autem nisi eum, qui immediate ei succedit. Et si dignitas non succedat seu subsequatur, ejusdem vices suppleri debent per alteram ex dignitatibus antecedentibus, et deficientibus omnibus dignitatibus, per canonicum antiquorem (3).

IX. Canonici Pœnitentiarius et theologalis in quibusdam locis inter dignitates habentur, communiter autem censentur non dignitatem sed merum officium babere (4).

(1) S. R. C. 31 Aug. 1737, *Bituntina*.

(2) 27 Jul. 1585, *Abulen*; 8 Maji 1649, *Andrien*. dub. 1; 5 Dec. 1722, *Ulyssionen*. dub. 1 et 3, apud Zamboni *dignitates* § III, n. 1, § IV, n. 4 et 6, § VI, n. 1.

(3) S. C. C. 5 Dec. 1722, *Ulyssionen*. dub. 2 apud Zamboni loco cit. S. R. C. 26 Nov. 1678, *Matheraren*. 5; 31 Aug. 1737 *Bituntina* 4.

(4) S. C. C. 16 Ap. 1691, *Senen*. et 12 Ap. 1699, *Murana* apud Devoti Instit. Canonic. lib. 1, tit. 3, § 69, not. 2.

Item vicarius generalis Episcopi non est dignitas (1). Etsi autem vicarius generalis stricte dignitatem non habeat, habet tamen dignitatem quoad praeminentiam ex jurisdictione provenientem, et ex tribunali seu consistorio Episcopi, secundum quod ipse est una et eadem persona cum Episcopo (2).

§ 2. De prima dignitate capituli.

I. Prima dignitas pro diversa ecclesia diverso nomine nuncupatur. Alibi est Archidiaconus, alibi Archipresbyter, alibi praepositus, et alibi decanus. Ubi dignitates non habentur, primus seu senior inter canonicos officio et munere ejus fungitur. Prima dignitate aut seniore canonico defuncto, impedito vel absente, sequens ei succedit, quatenus opus est, et ecclesiæ statuta præscribunt.

II. Collatio primæ dignitatis per regulas cancellariæ Romanæ Summo Pontifici reservatur, ut dictum est cap. II, n. II.

III. Prima dignitas (eo supposito, quod sit de capitulo, uti communiter subintelligitur in sequentibus) est caput numerale capituli, ut dictum est cap. VI, § 1, seu primus in numero sive in ordine eorum ex quibus constat capitulum, sive primus inter æquales. Hæc prærogativa capitinis ei nihil aliud tribuit, quam prælationem in capitulo et præcedentiam in sessionibus, processionibus aliquisque similibus.

Capitulum convocat eique præsidet, chorum dirigit, negligentes et delinquentes admonet; aliquid autem novum præscribere et imponere nequit, sed omnia facit juxta statuta, ordinationes capitulares, et receptas ac laudabiles consuetudines. Quinimo admonitiones per edictum publicare, et in ecclesia affigere non potest, sed delinquentes tantum oretenus monere et corrigere valet (3). Adeoque ut verum superiorem se gerere nequit. Hæc enim qualitas ei nullibi attribuitur: ita ut per se facultatem non habeat mandandi, sicut pater familias in domo sua, sicut Episcopus quoad clerum, et sicut Abbas respectu religiosorum suorum. Vid. cap. XVI, § 2.

(1) S. R. C. 20 Nov. 1677, *Hieracen*; Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. 5, § 2.

(2) Fagnanus in 1 partem III Decretal. de præbendis cap. *Ad hæc*, n. 28.

(3) S. R. C. 22 Jun. 1697, *Neapolitana*, 1.

Alicubi autem in canonicorum receptione ei promittitur, et etiam juratur obedientia, ut dictum est cap. IV, § 3. Hanc promissionem juratam non esse necessariam, liquet ex eo, quod hæc nullibi præscribatur, nec commendetur, nec laudetur. Qualiter autem intelligenda sit, inquirendum et addiscendum est ex lib. II, Sexti Decretal. tit. XI, c. 1, *contingit*, et ex Constitutione Innocentii XII, 22 septemb. 1695 (1). Hæc agunt de ecclesiis in quibus cum de recipiendis ibidem novis canonis agitur, nec canonici aliter recipiuntur, nisi jurent statuta et consuetudines ipsarum ecclesiarum, scripta et non scripta, inviolabiliter observare. Hanc promissionem et juramentum non prohibent, sed explicant. simulque decernunt, ea juramenta *ad licita, possibilia, et ecclesiasticae libertati aut decretis Concilii Tridentini non obviantia dumtaxat extendi*. Notandum est, in hac constitutione non dici *adversantia* sed obviantia, quasi opus non esset, ut illa reipsa et per se contraria forent, sed sufficeret, si contra libertatem ecclesiasticam tenderent. Num autem jurata obedientiae promissio, quæ primæ dignitati a canonis præstatur, libertati ecclesiasticae obviat? Si dignitas se immiseret v. g. in electione vicarii capitularis similibusque votis, certe obviaret: si negotia capituli et ecclesiæ arbitrio suo disponeret et ordinaret, procul dubio etiam obviaret, cum statum et naturam capituli immutaret.

Hoc autem admisso, validam esse obedientiae promissionem, certum tamen est, illum mandare non posse nisi ea quæ pertinent ad rationem superioritatis, uti sunt quæ præscribunt statuta capitularia, legitima capituli ordinatio aut consuetudo. Vid. cap XXXI, § 6.

IV. Prærogativæ primæ dignitatis. 1. Ubique præcedit omnes ejusdem ecclesiæ dignitates et canonicos.

2. Ad eam pertinet, Episcopo absente, impedito vel defuncto functiones episcopales celebrare, quas vide in Praxi Pontificali, tom. 1, n 211 et 212 et tom. 3, n. 255 et 256. In his alterum pro libito sibi substituere nequit, sed ipsa impedita, celebrandæ sunt per sequentem, et non impedita, eas celebrare tenetur; et capitulum condere potest statutum, quo decernatur, primam dignitatem teneri (2).

Ad eam etiam spectat Episcopo ægrotanti ultima sacramenta ministrare, ejusdemque defuncti exequias celebrare (3).

(1) Apud Lucium Ferrarem *Electio*, art. III, n. 26.

(2) S. R. C. 23 Maij 1846, *Maurianen*. Cfr. Acta S. Sedis, vol. XVI, fol. 375.

(3) Praxis Pontificalis tom. III, n. 265 et 270.

3. Ipsi competit, aspersorium porrigerere Episcopo ad ecclesiam accidenti, ac fungi officio presbyteri assistantis, dum Episcopus solemniter celebrat (1).

4. Ipsius est, convocare capitulum, eique præsidere, ut dicetur, cap. XXXII, § 4, n. IV.

5. Ad eam per se pertinet, si choro intersit, eumdem dirigere, dare signum incipiendi et exeundi, nisi præsens sit Episcopus dioecesanus (2), vel nisi hebdomadarius paratus officium faciat ut dicetur cap. IX, § 7, ad III, vel nisi habeatur chori præfectus, cui hæc ex officio incumbunt; item determinare horam officii, nisi Episcopus eam assignaverit; facere tabellam designativam officii et functionum celebrandarum, nisi alii ex officio id competat; errantes et delinquentes admonere et corrigere: admonitiones autem tantum ore tenus facere potest, easque per edictum publicare, et in ecclesia affigere nequit (3). Ipsi licentiam egrediendi ab alio petere non tenet (4).

V. Obligationes. Tenetur 1. quotidie choro interesse, et deficiens punctari debet, sicut alii omnes: quia primæ dignitatis præsentia honorem affert choro; quia non frequentando chorū, præbet malum exemplum; quia sicut nulla domus pro bono regimine debet esse sine gubernatore juxta Prov. XI, 14, ita nullum collegium sine capite, cuius interest curare, ut divina officia recte, rite et exacte celebrentur (5).

2. Non tantum choro interesse, sed et alta voce psallere debet, imo ad id magis adstrictus est, cum suo exemplo alios ad psallendum excitare teneatur (6).

3. Caveat ab omni defectu, et primus faciat, quod aliis faciendum est (7).

4. Sciat, quod, sicut princeps in manibus omnium delinquentium est, si horum malefacta punire negligrat: ita omnia errata primæ dignitati incuriosæ adscribuntur, cum obligatione Deo reddendi rationem (8).

(1) Praxis Pontificalis tom. I, n. 56 et 129.

(2) Scarfantoous decision. n. 43, S. Rot. in 1 part. n. 25.

(3) Vid. Praxis Pontif. tom. I, n. 44; Scarfantonius lib. 2, tit. V, animadvers.

(4) Scarfantonius lib. 2, tit. 13, n. 21.

(5) Scarfantonius lib. 2, tit. 4, n. 17 et 18; tit. 13, n. 1-5.

(6) Scarfantonius ibidem tit. 7, n. 28.

(7) Scarfantonius ibidem tit. 13, n. 9.

(8) Scarfantonius ibidem n. 13.

§ 3. De Archidiacono.

I. Archidiaconatus, spectato jure communi, est dignitas stricte dicta, cum jurisdictionem annexam habeat. Hanc dignitatem Archidiaconus obtinet, non a consuetudine aut statuto aliquo, sed a jure communi ex sola denominatione. Etiamsi omni jurisdictione careat, cum tamen una sit ex dignitatibus in jure expressis, vera dicenda est dignitas, et præminentiam habet in ecclesia.

Archidiaconatus prima post pontificalem seu episcopalem est dignitas; ideoque Archidiaconus præfertur Archipresbytero, præposito et decano, nisi alia sit consuetudo, aut ecclesiæ statuta secus disponant.

II. Magna olim Archidiaconi erat potestas, ita ut omnia pene negotia ecclesiastica ejus ministerio peragerentur, et ipse manus et oculus Episcopi appellaretur. Nunc autem officium ejus eo redactum est, ut assistat Episcopo, cum generales ordinationes celebrat, vocetque eos, qui ordines suscepturi sunt (1). In reliquis vel nullam omnino, vel tantam habet auctoritatem, quanta ab Episcopo concessa, vel a diuturna consuetudine, statutisque ecclesiarum tributa est. Integrum tamen est Archidiacono, visitare ecclesias quas antea visitare consueverat, modo id faciat per semetipsum et cum consensu Episcopi, cui intra mensem rationem reddere peractæ visitationis, atque integra acta exhibere debet (2).

III. "Archidiaconi, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in theologia, seu doctores, aut licentiati in jure canonico" (3). Cum vero hodie eorum jurisdictione cessaverit, illa etiam cessat obligatio, atque ætas viginti duorum annorum sufficit, sicut pro aliis dignitatibus curam animarum non habentibus (4).

IV. Archidiacono competit jus assistendi Episcopo generales ordinationes celebranti, ordinandosque vocandi, sive ipse sit prima, secunda aut alia dignitas, ex Bulla Clementis VIII *Ex quo in*

(1) Bened. XIV Constit. *Ex quo dilectus*, 14 Jan. 1747.

(2) Conc. Trid. sess. 24, cap. 3, de reform.; Joan. Devoti Jur. Canonic. univ. tom. II, tit. XXIII, § IV.

(3) Conc. Trid. sess. 24, cap. XII de reformat.

(4) S. C. C. 20 Jun. 1671, *Aquipendii*; Scarfantonius lib. 4, tit. VIII, n. 15-17; Barbosa de canonic. cap. V, n. 5-10.

ecclesia Dei, quæ Pontificali præponitur, et in qua Pontificale et omnia quæ in eo continentur, ab omnibus servanda præcipiuntur. Habito igitur Archidiacono in cathedrali, Episcopus non videtur alii, quam Archidiacono, committere posse officium præsentandi ordinandos (1). Si autem non detur Archidiaconus, ejus vicem supplet ille, ad quem juxta ecclesiæ statuta vel consuetudinem spectat.

Petitur ab Archidiacono, dum diaconos et presbyteros ordinandos præsentat, utrum sciat illos dignos esse; quod ipse affirmat, licet illorum examini non adfuerit, nec adesse debeat. Hæc fiunt, ut ritus antiquitatis servetur, ac ne formulæ, quæ a majoribus inductæ fuerunt, labefactentur. Ista porro Archidiaconi attestatio nunc merus ritus et cæremonia est, cum jam aliunde ordinandorum vitam et mores Episcopus antea exploraverit: et idcirco Innocentius III, lib. I, Decretal. tit. XII, *de scrutineo in ordine faciendo*, culpa vacare dixit Archidiaconum. illum dignum affirmantem, quem indignum esse non novit, quamvis ignoret, an revera dignus existat. In tali responsione, ait Innocentius, aliquem peccare non credimus, dummodo contra conscientiam non loquatur; quia non simpliciter illum asserit esse dignum, sed in quantum humana fragilitas nosse sinit: cum illum, quem indignum esse non novit, dignum debeat aestimare. Hujusmodi ergo responsione secure poteris uti, nisi forte de indignitate tibi constiterit. Si autem illum indignum esse cognoscis, Episcopo, priusquam ad hujusmodi scrutineum veniatur, secreto studeas nuntiare vel intimare (2).

§ 4. *De reliquis dignitatibus.*

I. Archipresbyter sic dicitur, quia primus est presbyterorum, reliquisque præest. Archidiacono quoad dignitatem et jurisdictionem inferior est, major vero quoad ordinem. Cum autem jura et officia Archipresbyterorum per contrarias consuetudines et particularia ecclesiarum statuta fuerint moderata; hinc ad dignoscendum, qualis ipsa sit dignitas, et quodnam officium ab ipso præstandum, singularum ecclesiarum consuetudines et constitu-

(1) Vid. *Analecta juris Pontificii* 1869, sér. 10, fol. 1115; *Bouix de capitulis* p. 1, sect. 2, cap. 7, § 4, n. 4.

(2) *Bened. XIV de Syn. dicœc.* l. 5, c. 3, n. 4; *Bissus E.* n. 191, § 15; *Praxis pontifical.* tom. 3, n. 357.

tiones inspiciendæ sunt. Nunc enim omnis Archipresbyteri auctoritas pendet ex mandato Episcopi, ex statuto ecclesiarum et ex consuetudine (1).

II. Decanus ille proprie dicitur, qui decem præest viris; abstractione autem facta a numero, is qui inter aliquos ejusdem ordinis vel status primas tenet, aut iisdem præficitur, decanus vocari solet. Jure communi decanus nullam habet jurisdictionem, ac proinde nec dignitatem, nisi pro tali habeatur, ut dictum est hoc cap. VIII, § 1. In pluribus tamen ecclesiis Hispaniæ, Galliæ et Belgii decanus est prima dignitas, cui igitur competunt omnia, quæ cap. VIII, § 2, dicta sunt (2).

III. Præpositus regulariter dicitur ille, qui aliquibus præfectus est, et ex usu in pluribus capitulis prima dignitas præpositus dicitur (3).

IV. Primicerius quasi primus in officio, in quo constituitur, in quibusdam capitulis etiam dignitas dicitur, et quandoque quidem prima nuncupatur (4).

V. Scholasticus erat, qui pueros litteras, artes ac disciplinam docebat, eosque in bonis moribus instituebat. Scholasteria olim simplex erat officium, postmodum autem in aliquibus ecclesiis in titulum beneficii et etiam dignitatis constituta fuit. De eo agit Concilium Tridentinum sess. 23, cap. 18 de reformat. *Denique ut.*

VI. Cantor in pluribus cathedralibus dicitur dignitas. Ad eum per se pertinet dirigere chorum in iis quæ sunt dicenda et cantanda; distribuere lectiones, prophetias et similia; facere tabellam officiorum et functionum, nisi prima dignitas aut chori præfectus hanc tabellam designare soleat, aut nisi cæremoniarum magister in solemnitatibus catalogum pro chori functionibus disponat (5).

Quoad has aliasve, quæ habentur, dignitates notanda sunt statuta, privilegia, consuetudines, ordinationes, conventiones, aliæque circumstantiæ, quæ sæpe omnia permutant, et unius officia alteri adscribunt.

(1) Vid. *Reiffenstuel* lib. 1, Decretal. tit. XXIV; *Barbosa de canonic.* c. VI.

(2) Vid. *Barbosa de canonic.* c. VII.

(3) Vid. *Barbosa de canonic.* c. IX, n. 18.

(4) Vid. *Barbosa de canonic.* c. IX, n. 1.

(5) Vid. *Praxis Pontific.* tom. 1, n. 45, 54 et 251; *Barbosa de canonic.* cap. IX, n. 10 et seq.